R. d. 19. Jan. 1748.

58.

120

Viro Longe Doctissimo et Celeberrimo
Jacobo BRUCKERO
Antonius Franciscus Gorius.

Te iubente, impuli amicos de litteris et Italico nomine optime meritos, qui mihi Imaginem tuam mitterent, ut morem tibi gererem. Primus omnium fuit Vir doctissimus amicus meus Jo. Bapt. Passerius Vicarius Pisaurensis, qui etiam vitam tuam sine fuco descripsit. Misere imaginem tuam duo Clarissima Neapolitani Regni Lumina D. Aurelius de Januario auctor Reipublicae Jurisconsultorum, et aliorum Operum. Item I.C. Celeberrimus Jo. Ant. Sergius. Idem praestitit Cl. Ant. Maria Biscionius Regius Praefectus Bibliothecae Imperial. Laurentianae Mediceae. Haec praestiti officia. Doleo Te hanc Spartam abiecisse, quod nimis turpiter proclamatum est in Novellis sive nunciis Florentinis. Quod non mandantur libri in causa est quod non prostant, vel pretia augentur. Vale Vir Praestantissime, me totum tuum ama.

Dab. Florentiae XIV. Kal. Jan. 1747.

8

Viro Doctissimo et Celeberrimo
IACOBO BRVCKERO

Augustam Vind.